



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. Statuuntur actus humani propter finem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



dum finem. Latè sumpta significat iudicium intellectus proponens obiectum cum indifferentia, & sufficienti lumine ad discernendum inter bonum, & malum. Secundò dividitur in deliberationem formalem, quà ratio actu deliberat, & in virtualem seu interpretativam, quà quis habens obligationem & potentiam ad deliberandum, omisà formali deliberatione, iudicat hic & nunc aliquid esse agendum, vel omittendum.

Quocunque modo ex prædictis deliberatio accipitur, sufficit ad denominationem actus humani: ita ut in definitione actus humani *ly voluntas deliberata* nil aliud significet, quàm voluntatem regulatam per deliberationem sive strictam, sive latam, sive formalem, sive virtualem: unde etiam peccatum ex ignorantia vincibili est actus humanus, quia procedit ex voluntate saltem virtualiter deliberata.

## ARTICULUS II.

*Per quos actus homo operetur propter finem?*

## SUMMARIUM.

1. Omnes actus humani sunt propter ultimum finem.
2. Alia amari propter finem est ipsius inadaquata tantum causalitas.
3. Amor finis alius formalis, alius causalis.
4. Quomodo actus fugæ & imperati sint propter finem?
5. Etiam fructio finis est propter ipsum.
6. Etiam necessarij actus voluntatis comprehensivum sunt formaliter propter finem.
7. Creaturae irrationales formaliter non agunt propter finem.
8. Obiectio Genetici solvitur.
9. Qualis determinatio voluntatis requiratur ad finis causalitatem.
10. DEUS ex parte sui actus habet rationem finalem, non causalem.
11. Nihil creatum est finis ex parte Divinae voluntatis.
12. Datur finalis ratio amoris essentialis, non notionalis in DEO.
13. Quomodo creaturae sint media?
14. Ordo intentionis & electionis in Divinis tantum probat media & fines ex parte volitorum.

## §. I.

*Statuuntur actus humani propter finem.*

1. **Q**uestio non de fine operis sed operantis intricata sit **CONCLUSIO** Homo per omnes actus humanos proprie formaliter agit propter finem. S. D. hica. i. in c. Ratio est: quia in omni actu humano reperitur propria causalitas finis, quæ est, ut ipse gratiâ sui, & alia appetantur propter ipsum. Aut enim actus humanus est immediatè circa finem, ut amor & intentio finis; & tunc haud dubiè bonitas finis per tales actus propter se, sive gratiâ sui appetitur: aut est immediatè circa media, & tunc ipsa media, quippe quorum bonitas essentialiter dependet à bonitate finis, amantur & eliguntur propter finem, ad quem consequendum ducunt.
2. Hinc colliges primò: Adæquatam causalitatem finis non in hoc consistere, ut alia amentur propter ipsum, siquidem fini per prius convenit amari & appeti propter se, quàm alia propter ipsum. Unde cum S. D. 3. contr. gentes. c. 75. dixit: *Causalitatem finis in hoc consistere, quòd propter ipsum alia desiderantur, de inadaquata tantum causalitate locutus fuit.*

R. P. Metzger, Theol. Schol. Tom. II.

Colliges secundò. Omnia, quæ sunt propter finem, fieri ex amore finis, vel formali, vel causalis, non autem semper formali. Ex amore formali est fieri ex actu ipso amoris extrinsecè præsupposito; ex amore causalis est fieri ex bonitate finis objective alliciente. Sic intentio finis est ex amore causalis, electio mediorum etiam quandoque ex formali. Parùm differunt, qui dicunt, intentionem finis procedere ex amore finis non transitive, quasi aliquid derivatum ex amore formali, sed intransitive, h. e. quòd procedat ut ipse amor, quo modo calor ignem producere dicitur in virtute ignis, *ly in virtute fumendo intransitive*, ita ut calor sit ipsa virtus ignis, non autem transitive, quasi ageret ex virtute superaddita.

Colliges tertio: Etiam actus fugæ, quibus videlicet voluntas averfatur malum, & actus imperatos, qui à distinctis potentiis eliciuntur, esse propter finem. Actus fugæ quidem, quia voluntas nunquam averfatur malum, nisi in virtute boni ex opposito moventis & allicientis. Actus verò imperatos, quia licet materialiter spectati, quatenus elicitivè procedunt ex potentiis à voluntate distinctis, non habeant pro obiecto finem & bonum; spectati tamen formaliter, & quatenus à voluntate imperati, sic ab ipsa in finem referuntur.

Colliges quartò. Fruitionem ac delectationem de fine adepto esse actus propter finem elictos; cum in istis quoque actibus reperitur propria motio, & intentionalis causalitas finis. Nam licet bonitas finis non moveat ad sui fruitionem, nisi ut posita in executione, atque aded fructio tantummodò sequatur finem, jam in executione habitum, ipsa tamen executio non est ratio movendi, (cum finis officium sit movere obiectivè, non activè, & executivè) sed tantum conditio necessariò requisita, ut finis obiectivè, & ut existens in intentione moveat, quatenus apprehenditur, & repræsentatur sub ratione boni præsentis & possessi, prout insinuat Angelicus D. q. 31. à 1. ad 2. dicens: *Licet in eo, qui jam consecutus est bonum, in quo delectatur, cesserit motus executionis, quo tendit in finem, non tamen cessat motus appetitivæ partis, quæ sicut prius desiderabat non habitum, ita postea delectatur in habitu. Licet enim delectatio sit quies quadam appetitus consideratâ presentia boni delectantis, quòd appetitui satisfaciunt, tamen adhuc remanet immutatio appetitus ab appetibili. Inde fit, quòd quanto vehementior*

A 2